

tem hora , partem sub stillicidio retineret . Sed quantitatem horarum & etas & habitus illarum partium , quae stillicidio sunt subjicienda , nec non virtus & temperatura docebit . Et quecunq; de potionē , lavatione & corrosione supra sunt præscripta , ea etiam hic consideranda veniunt . Atq; tantum de stillicidio .

DE STVFFIS.

APVD nos hactenus non fuit usus stuffarum , quarum tamen si in usum venirent , præsertim in his nostris thermis , magnum esset præsidium , vapores enim aquarum nostrarum valde fundunt , attrahunt & resolvunt per sudorem humores , nec non excalfaciunt & resicant , vnde cacheticis & futuris hydropticis , arthriticis , scabiosis , & similibus , qui affectum & vitium in partibus corporis exterioribus patiuntur , proderent . Quomodo autem stuffæ parari (nam sunt quædam loca , in quibus ob auram illam abominabilem foveæ fieri non possent) deberent , suo tempore popularibus meis , Deo volente , ostendam , bene enim stuffæ , licet non per foveas , ut ego ad balnea Aponitana , Senensis & Neapolitana in Italia vidi , construi & formari poterunt . Nulla autem nunc præcepta dari de his possunt , cum nullæ sint , quæ extant .

Atq;

A T Q V E hucusq; produxit autor tra-
ctatum suum de usu calidæ in thermis Ca-
rolinis. Quod si non illum nobis eripuisset,
mors immatura, dedisset ipse & hæc & alia
plura cultiora & magis elaborata. Hæc
enim, quæ nunc edimus, fuerunt ab ipso pro-
ratione temporis & aliarum occupationum
hoc modo concepta, quæ tamen ipsa nos
nō perire, sed liberaliter omnibus eruditis,
ijsq; in primis, qui hac calida vsuri es-
sent, communicare voluimus, quæ vt grata ac-
cepta q; sint, pétimus humaniter ab vni-
versis.

F I N I S.



H 3

INDEX